



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Agenda S. Coloniensis Ecclesiae. Hoc Est: Liber Pastoralis**

**Ferdinand <Köln, Erzbischof>**

**Coloniae Agrippinae, 1614**

Benedicto Sponsi & Sponsæ in primis nuptijs.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-39761**

**BENEDICTIO SPONSI ET**  
*sponsæ in primis nuptijs.*

**B**Eati omnes qui timent Dominum, qui ambulat in vijs eius.

**L**abores manuum tuarum quia manducabis, beatus es, & bene tibi erit.

**V**xor tua sicut vitis abundans in lateribus domus tuæ.

**F**ilij tui sicut nouellæ oliuarum in circuitu mensæ tuæ.

**E**cce sic benedicetur homo, qui timet Dominum.

**B**enedicat tibi Dominus ex Sion, vt videas bona Ierusalem omnibus diebus vitæ tuæ.

**E**t videas filios filiorum tuorum, & pacem super Israel.

**G**loria Patri, & Filio, & Spiritui sancto.

Sicut erat in principio, & nunc & semper, & in sæcula sæculorum, Amen.

**K**yrie eleison. **C**hriste eleison. **K**yrie eleison.

**P**ater noster. **E**t ne nos, &c. **S**ed libera nos, &c.

Amen.

**V**ers. Saluum fac seruum tuum, & ancillam tuam Domine.

**R**esp.

**R**esp. Deus meus sperantes in te.

**D**omine exaudi orationem meam. **E**t clamor meus ad te veniat.

**Oremus.**

**D**Eus Abraham, Deus Isaac, Deus Iacob sit semper vobiscum, ipse vos coniungat, & impleat benedictionem suam in vobis. Per Christum Dominum nostrum.

**Oremus.**

**R**espice Domine, de caelo sancto tuo, super hanc coniunctionem: vt sicut misisti sanctum Angelum tuum Raphaellem Tobiae, & Saræ filiae Rachaelis, ita digneris Domine mittere benedictionem tuam super istos adolescentes, vt in tua voluntate permaneant, & in tua securitate consistant, & in amore tuo viuant, & senescant, & multiplicentur in longitudine dierum. Per Christum Dominum nostrum, Amen.

**Oremus.**

**B**ene ✠ dic Domine adolescentulos istos, & femina semen vitæ aeternæ in mentibus eorum, vt quicquid pro vtilitate sua didicerint, hoc semper perficere & adimplere mereantur. Per Iesum Christum, recuperatorem omnium,

omnium. Filium tuum vnigenitum, qui tecū  
viuit & regnat in vnitae Spiritus sancti Deus.  
Per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Oremus

**B**Ene ✠ dicat vos & custodiat Deus pater, o-  
stendatque faciem suam in vobis, & misere-  
atur vestri, conuertat vultum suum ad vos, &  
det vobis pacem, impleatque Christus omni  
benedictione spirituali corda & corpora ve-  
stra in remissionem omnium peccatorum, vt  
habeatis vitam æternam, & viuatis in sæcula  
sæculorum. Amen.

Oremus.

**R**Espice Domine super hos fideles tuos, vt  
in tuo nomine benedictionem cœlestem  
accipiant, & filios filiorum suorum vsque in  
tertiam vel in quartam progeniem videant,  
& tua semper fidelitate perseuerent, ac in fu-  
turo cœlestia regna percipiant. Per Christum  
Dominum nostrum, Amen.

Oremus

**D**Eus Abraham, Deus Isaac, Deus Iacob. Be-  
nedic obsecro istos, & semina semen vitæ  
in mentibus eorum, vt quicquid pro vtilitate  
didicerint, hoc facere cupiant. Per Iesum

Z

Chri-

Christum recuperatorem omnium, Filium tuum vnigenitum. Qui tecum viuit & regnat in vnitate Spiritus sancti Deus. Per omnia sæcula sæculorum, Amen.

Oremus.

**D**A quæsumus Domine benedictionem tuam super hunc famulum **✠** tuum, & famulam **✠** tuam propitius vt tibi subditi fiant, atque iugiter deseruiant. Per Christum Dominum nostrum, Amen.

Oremus.

**O**Mnipotens sempiternus Deus, qui primos parentes nostros, Adam, & Euam sua virtute copulauit, eosque sua benedictione sanctificauit, & in sancta societate coniugauit, ipse corda & corpora vestra sanctificet & bene **✠** dicat, atque in societate & amore veræ dilectionis coniungat. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum, qui tecum viuit & regnat Deus. Per omnia sæcula sæculorum, Amen.

**B**enedicti sitis à Domino, qui creauit mundum ex nihilo, qui in Trinitate perfecta viuit & regnat Deus, per omnia sæcula sæculorum, Amen.

B. ene-

**B**enedictione absoluta quærat sacerdos ab utroque, quomodo nomenentur, rogetque an velint sacrum coniugij statum inire, eumque in præfenti fidelium cœtu confirmari, his verbis:

Ihr wollet eingehen den Standt der H. Ehe vnd begehret das der bestettiget werde / im Angesicht dieser gegenwertigen Gläubigen.

**Responsio.** Ja Herr / oder wir begeren es.

**D**einde si sponsalibus etiam interfuit Parochus, & in ijs quod non coacti, non voto sacro continentia obligati, non promissione vlla alteri facta obstricti accedant iam antea cognitum habeat, sequentem interrogationem faciat.

**R.** So frage ich euch an statt des Allmechtigen / ob ihr auch von jemandt gezwungen / mit einiger geistlicher Gelübden verstricket / auch mit keinem euch ehelich versprochen / allhie erscheinet.

**Si talem habent conscientiam respondent.** Nein Herr.

**Similiter alloquatur & interroget sponsam.**

**Eadem itidem verecundè respondente.** Nein Herr.

**I**ubeat vt sibi dextras tradant, & vbi ita moris est, partem stolæ manibus eorum circumuoluat, atque primo mandat sponso, vt ad sponsam sequentia verba dicat:

**R.** Ich nehme euch zu meiner Christlicher Ehefrauen für Gott dem Herrn vnd seiner heiliger Kirchen.

**Deinde iubeat sponsam dicere ad sponsum.**

**R.** Ich nehme euch zu meinem Christlichen Eheman für Gott dem Herrn vnd seiner Christlicher Kirchen.

Post hæc sacerdos dicat:

**M**atrimonium per vos contractum ego tanquam minister Dei, confirmo, ratifico & benedico, in nomine Pa **✠** tris, & Fi **✠** lij, & Spiritus **✠** sancti, Amen.

Subijciat mox Initium Euangelij sancti  
Ioannis dicendo:

**D**ominus vobiscum.

**R**esp **E**t cum Spiritu tuo.

**I**nitium sancti Euangelij secundum Ioan-  
nem.

**R**esp **G**loria tibi Domine.

**I**n principio erat verbum, & verbum erat a-  
pud Deum, & c. **vt in fine libri.**

**P**er hæc Euangelica dicta, deleantur nostra  
delicta.

**S**it nomen Domini benedictum.

**E**x hoc nunc & vsque in sæculum.

**A**diutorium nostrum in nomine Domini.

**Q**ui fecit cœlum & terram.

**B**enedicat vos diuina maiestas Pa **✠** ter, & Fi-  
**✠** lius, & Spiritus **✠** sanctus, Amen.

**A**d extremum aspergat sponfos aqua benedicta,  
data dextera gratuletur ipsis, & in pace  
dimittat, dicens:

**D**ominus

**D**ominus custodiat introitum vestrum, & exitum vestrum, ex hoc nunc & vsque in seculum, Amen.

Vel:

**I**te in pace.

## DE SECUNDIS NUPTIIS.



**N**UPTIÆ secundæ ratione triplici existunt. 1. Ex parte vtriusque sponsi, scilicet & sponsæ. 2. Ex parte sponsæ tantum, si ea sit vidua. 3. Ex parte sponsi solum, non autem sponsæ.

Quæ ergo sunt nuptiæ secundæ postremi ordinis, hoc est ratione viri solum, eæ, quia foemina non fuit benedicta, ad modum iam præscriptum benedicendæ sunt. Similiter si casu aliquo in secundo genere sit vidua, quæ semel nupsit, sed ante benedictiones receptas vidua facta iterum nubit, benedicenda est.

Alias ordinariè Bigamorum nuptiæ tam ratione sponsi, & sponsæ simul, quàm sponsæ solum, vt supra notatum, benedicendæ non sunt, sed ordo subiectus seruetur.

### FORMA CELEBRANDI secundas nuptias.

I.



**V**ando sacrum finitum est, ad altare veniant, ibique adgeniculentur, & statim Parochus, si opus

Z 3

sit, aut